



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno 483. Usque Ad Annum 561.

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1759

VD18 90117824


§. 1. Sanctus Eugenius Episcopus Carthagensis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66066](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66066)

BAPTISMUS CLODOVÆI.



HISTORIA
ECCLESIASTICA.
LIBER XXX.



S. FELIX, PAPA.
ZENO IMPERATOR ORIENTIS,
ET ODOACER REX ITALIÆ.

§. I.

S. Eugenius Episcopus Carthaginensis.



In Africa Genferico Vandalorum *Sæculum V.*
Rege sub initium anni 477. re- *A.C. 483.*
bus humanis erepto, succedens

Hunericus filius ejus natu major in ipso *Vid. vit. lib.*
II. n. I.
Hist. Eccles. Tom. VII. A Regni

Sæculum V. Regni auspicio ingenii moderationem
A. C. 483. præsertim erga Christianos ostendit.

Ruin. Hist. part. 2. c. 7. Sup. lib. XXVII. S. 58. Jamque conventus agere in illis locis incipiebant, in quibus antea Gensericus id fieri prohibuerat. Hunericus Manichæos diligenter, ipso imperante, conquistos, partim flammis tradidit, alios navigare jussos Africa expulit; cumque sciret, eorum ferme omnes, præsertim Presbyteros, & Diaconos Hæresi Ariana, quam ipse tenebat, esse imbutos, pudore excitatus, multo magis istud hominum genus averfatus est. Aliquis Manichæorum, Monachus, cui nomen Clementianus, coxendici (*) incisa habebat hæc verba: *Manes Jesu Christi Discipulus.*

Elapsi jam erant anni viginti quatuor, ex quo Sedes Carthaginensis vacabat. Tandem Hunericus Zenonis Imperatoris, & Placidiaë Principis, cujus Sororem conjugem habebat, precibus dedit, ut Catholicis liceret in ea Civitate Episcopum eligere. Misit Hunericus ad Ecclesiam Alexandrum, Imperatoris Zenonis Legatum, & unum ex suis Notariis, nomine Vitaritum; is Cæsaris Edictum ferebat, quod

(*) Hier giebet der Protestantische Uebersetzer gleich auf der ersten Seite eine Probe, daß er an den fünften Theil seiner Uebersetzung keinen größern Fleiß gewendet, als an die vorigen, da er übersetzt: *tur la cuille, Coxendici, auf seine Tasche.*

quod publice iussit recitari; Litterarum Sæc lum V.
 Summa hæc erat: *Dominus noster ab Im-* A. C. 482.
peratore Zenone, & Nobilissima Placidia,
rogatus concedit vobis facultatem eligen-
di Episcopum, quem volueritis, ea condi-
tione, ut nostræ Religionis Episcopis, qui
Constantinopoli, & in aliis Orientis Pro-
vinciis sunt, Libertas, tali quo voluerint
Idiomate in suis Ecclesiis prædicandi, &
Religionem Christianam exercendi, conce-
datur, sicut vobis hic, & in aliis Africæ
Ecclesiis Missas celebrandi, Prædicandi, &
vestræ Religionis vacandi, libertas est. Hoc
enim nisi servetur Pactum, Episcopus in
ista Civitate ordinandus, & cæteri Afri-
cæ Episcopi cum suis Clericis ad Mauros
proscribentur. Hoc Edicto in Ecclesia
Carthaginensi 18va Junii recitato, Epis-
copi Catholici, quotquot præsentibus erant,
ingemuere, cum cernerent, quibus frau-
dibus Persecutio pararetur. Ad Regis
Mandatarium dixerunt: absint conditio-
nes periculo plenæ! præstat, ut sine istis
hæc Ecclesia Episcopum non habeat. Hanc
Ecclesiam ulterius custodiet Iesus Chri-
stus, cujus auxilium huc usque experti su-
mus. Sed non acquievit Mandatarius,
licet populus ingenti clamore idem ex-
petere non cessaret.

Itaque Eugenius incredibili populi n. 3.
 gaudio ordinatus est Episcopus Cartha-
 ginensis; quippe permagnus erat juve-

Sæculum V.
A. C. 483. num numerus, qui in Ecclesiæ hujus Ca-
thedra Episcopum sedentem nunquam
viderant. Sancti viri virtus brevi tem-
pore non Catholicorum modo, sed &
omnium ordinum animos ei conciliavit;
erat enim humilis, charitate plenus, &
prono in miseros animo. Tam largas manu
liberalissima eleemosinas dispergebat, ut
fidem superet. Nam quamvis Barbari
omnia Ecclesiæ Bona occupassent, non
deerant tamen Sancto Episcopo alia sub-
sidia, multis quotidie magnas opes affe-
rentibus, quas ipse bona fide inter indi-
gentes distribuebat, nihil ultra, quam illa
die necessarium erat, reservans. Nun-
quam acceptas pecunias in diem alteram
reponebat, nisi cum forte, serius allatæ,
ante noctem erogari non potuissent. S. vi-
ri fama brevi Episcoporum Arianorum in-
vidiam excitavit, præsertim Cyrili, inter
cæteros potentissimi. Hi Regi ingere-
bant; non leve Religioni periculum crea-
ri, si Eugenius ultra prædicare sineretur.
Volebant, ut ipse Eugenius prohiberet,
ne quis vir, vel mulier, si gererent ve-
stem, qua Barbari incedere solebant, Ec-
clesiam ingrederentur. Eugenius re-
spondebat; oportere, ut Ecclesiæ janua
omni hominum generi pateret. Id ve-
ro dicebat, illorum maxime Christiano-
rum causa, qui, cum in Regia famularen-
tur, Vandalorum modo vestiri cogeban-
tur. §. II.